



muscul.

0.



26. 34.



ORATIONES DVÆ

IOHANNIS
FERINARII, QUARVM
RECITAVIT ALTERAM

ANNO M. D. LXV. INCIPENS,
*Alteram Anno M. D. LXVII. finiens
prælectionem publicam Ethicæ do-
ctrinæ in Academia VVi-
tebergensi.*

ORATIO SCHO-
LASTICA RECITANS

CAVSAS, CVR NECESSE SIT
*tenera ingenia formari literis, & disciplina,
pronunciata ab eodem FERINARIO,
cùm illi denuò commendaretur guberna-
tio studiorum, in oppido Elyfiorum,
FREISTADIO.*

Die 23. Iulij, Anno 1567.



VVITTEBERGÆ

EXCVDEBAT IOHANNES
SCHVVERTEL 1567.

JOHANNES
FERRARIUS
RECTOR
MAGISTER
MAGISTER
MAGISTER
MAGISTER
MAGISTER
MAGISTER
MAGISTER
MAGISTER

ORATIO
LITURGICA
LITURGICA
LITURGICA
LITURGICA
LITURGICA
LITURGICA
LITURGICA
LITURGICA
LITURGICA
LITURGICA

1000
LITURGICA
LITURGICA
LITURGICA
LITURGICA
LITURGICA
LITURGICA
LITURGICA
LITURGICA
LITURGICA
LITURGICA



ORATIO

IOHANNIS FER-
NARI, RECITATA CUM

INCIPERET LECTIONEM

publicam Ethicorum, in Acade-
mia Vuitebergensi, Die

10. Iulij, Anno

1565.



A V D O T R A E C E P T V M
religiosa antiquitatis, quæ di-
xit: ἀρχῶν ἀπάντων ἢ τέλος
ποιεῖ θεός. Valde etiam probo,
quod illis ipsis Ethicis suis di-
sputationibus vota miscet Plato, sicut alicubi
Socrates suum Pana, hoc est, numen illud uni-
uersum & omnia gubernans, hoc modo compel-
lat: Amice Pan, dato mihi, vt intus pulcher-
sim, & exteriora omnia quæ mihi sunt, cum
interioribus consentiant. Sed longè antefero
istis Ethnicis vocibus dictum Apostoli, qui
dulcissimè inquit: Si quis indiget sapientia,
petat eam à Domino, & dabitur ipsi. Talis au-
tem mearum rationum nunc est conditio, vt
talia vota vp Deum fundere, & in hoc meæ
professionis exordio, verè ipsum inuocare de-
beam, vt ipse sit σὺμβεβλητός, monstrator &
gubernator huius mei curriculi, quod ipso vo-

A 2

lente

lente & iuuante ingredior. Etsi enim intelligo muneris & oneris, quod ceruicibus meis imponitur, magnitudinem, & virium mearum imbecillitatem optimè animo præmetior, tamen obtemperans, iusta cum animi demissione, voluntati Dei, & auctoritati Illustrissimi Principis Electoris, domini nostri clementissimi, atque Senatus huius inclytæ Academicæ, quem vt Præceptores, perpetua reuerentia, & obediendi studio veneror, produci me passus sum, ex umbra non insuavi, in hoc doctrinæ theatrum, laborum & curarū plenum, & ascendi in augustam illā cathedram, vnde ante aliquot annos in imis subsellijs sedens exaudiui & hausi suauem illam vocem, & cygneum melos sancti nostri senis, viri, vt schola Socratis de suo magistro scripsit, ex illis, quos nos vidimus, optimi, sapientissimi & iustissimi, vt hoc etiā nomine magis trepidem, quod aliquam partem loci illius, quem tenuit tantus vir, admodum dispar successor capio. Obsecutus igitur consilio, & mandato Apostoli, conuerto me ad seriam & piam inuocationem, & tibi æterne, viue, vere Deus, Pater Domini nostri IESV CHRISTI, qui te patefecisti misso Filio tuo, & effuso SPIRITV SANCTO in corda credentium, gratias ago, quòd tibi immensa bonitate, per, & propter filium tuum, semper in genere

genere humano colligis Ecclesiam, eamq̄ inter
tot furores Diabolorum, & hominum, potenter
defendis. Nominatim etiam tibi pro hoc sum-
mo beneficio ago gratias, quòd hanc Academi-
am, studiorum in Germania verè officiosam
matrem, & gentis nostræ magistram, & lumen,
in qua lux repurgatæ doctrinæ denuò nostro sæ-
culo affulsit, hæctenus, postquam primos Eccle-
siarum & Scholarum ómnisq̄, sanctos præ-
ceptores nostros, in Academiam cœlestem euo-
casti, clementer regis, auges & ornas, & quòd
me voluisti huius scholæ, doctricis præcipuæ,
fieri ciuem, in eaq̄ aliquo cum successu haurire
capita doctrinæ Euangelicæ, & honestarum ar-
tium semina. Inuoco te propter eundem filium
tuum, vt deinceps etiam perpetuò sanctum
agmen tibi inter nos colligas, quod te verè ag-
noscat & celebret. Custodi Germaniæ illu-
strem oculum, hanc scholam, eamq̄ in hoc docen-
di curriculo, perpetuò sinas esse tuam vocem,
florentem autoritate publici consilij, & sonan-
tem sinceram Euangelij doctrinam, & artes vi-
tæ hominum necessarias, vt ex ea, ceu perenni
diuinæ, & humanæ sapientiæ scaturigine, per-
petui, & limpidi riuuli doctrinæ cœlestis, &
bonarum artium, ad reliquos ciues nostrarum
Ecclesiarum emanent, & propagentur. Et tu
Fili Dei, qui es εἰκὼν, & λόγος αἰterni pa-
tris

tris tui, in quo fulget idea sapientiae, & ordinis
descripta in lege, quam in monte Sinai, inter
horribiles fragores, & tonitua edidisti, accen-
de in pectoribus nostris verum amorem tuae le-
gis, & initia illius sapientiae & iusticiae, quam
perficies in vita aeterna. Regas etiam mentem
& linguam meam, ut sim verus & salutaris
interpres tuae legis, & per me tibi aliqua grata
fiant, & in me, auditoribus meis, & omnibus ci-
vibus huius Academiae verè glorificetur aeter-
nus pater tuus. Posteaquàm hæc vota præiui,
pauca de mea professione, quam vocabulo vsita-
to, sed exiliori, Ethicam nominamus, dicam, ut
& iuventuti dignitas huius doctrinae, in qua
ἠθικὴ καὶ ἠθικὸς ἐγὼ traduntur, innotescat, & ali-
qui flectantur ad amorem disciplinae, de cuius
laxatione ac solutione, omnes prudentes & pii,
in hac temporum, ac bonarum rerum omnium
perturbatione, & interitu, nimis verè conque-
runtur. Philosophia rectè inquirat priore loco
naturam hominis, considerat illius structuram,
principia, compagem singularum partium, ea-
rumq; actiones. Differit etiam de natura gu-
bernante istam molem corpoream, quam ani-
mam appellamus, quæ non solum vitali quodam
flatu membra corporis perfundit, sed alia nobi-
liore etiam & diuina aura intus admirandas
actionis intellectiois, ratiocinationum, & me-
moriae

moræ ciet, atq; ex illis conclusiones, quæ sunt se-
mina magnarum artium, extruit. Refertur
ista inquisitio ad doctrinam illam, quam propriè
Physicam nominavit vetustas, quæ & illustre
testimonium dicit, de architecto tam præclari
operis, & multis modis in medicationibus, &
alijs vsibus, vitæ hominum opitulatur. Post
extruccionem ædificij huius, quod antiquitas,
respiciens ad dignitatem illius, nominavit $\mu\eta\gamma\alpha\sigma\tau\omicron\mu\omicron\sigma\mu\omicron\phi\omicron$,
Philosophia quærit de fine homi-
nis, hoc est, inuestigat, quæ actio propriè, &
præcipuè homini conueniat, & doctrinam re-
ctricem istarum actionum nominavit Ethicem,
eamq; Schola Peripateticorum dixit guberna-
re præcipuè potentias appetitiuas, vt illæ in ci-
endis motibus affectuum, & externarum actio-
num, imperio rationis obediunt. Etsi verò de
norma rectrice dissimiliter loquuntur Plato
& Aristoteles, tamen reipsa nihil dissentiunt,
nisi quòd Platonica paulò sunt sublimiora, atq;
etiam veritati propria, sicut scio præstantissi-
mos Philosophos etiam nostræ ætatis iudicasse,
in ea parte, quam Philosophia nominare solet
diuinam, procul dubio Aristotelem à Platone
esse superatum. Aristoteli enim satis est
nominasse virtutem finem hominis, eamq; esse
actionem secundum iudicium rationis, quam
dicit hortari ad optima.

tuere humanam imbecillitatem, & fluctus
affectuum & euentuum, quibus iudicia homi-
num percelluntur, maluit constituere normam
certam, & immotam voluntatem, nempe in ipso
Deo, cui oportet fieri conformem. Memoria
digna est sententia ipsius, quæ recitatur in
Theæteto: Ἀλλ' οὐτ' ἀπολέω τὰ κακὰ δύ-
νατόν, ὑπεναυτίον γὰρ τί τοῦ ἀγαθοῦ αἰεὶ εἶ-
ναι ἀνάγκη. οὐτ' εἰ θεοῖς αὐτὰ ἰδρῶν.
τῶν δὲ θνητῶν φύσιν, καὶ τὸν δὲ τὸν τόπον
ποριπολεῖ δὲ ἀνάγκης. διὸ καὶ περᾶν
ἔστι, ἔνθεν δὲ ἐκῆσε φεύγειν οὐ τάχιστα. φυ-
γὴ δὲ ὁμοίωσις θεῶν, κατὰ τὸ δυνατόν. ὁμί-
ωσις δὲ δίκαιον, & ὄσιον, μετὰ φρονήσεως
γενέω. Mala prorsus extirpare non est possi-
bile, Necessè est enim aliquid extare, quod sit
bono contrarium, neq̄, tamen illud apud æter-
nas naturas locum habet, sed in mortali hac na-
tura, & in hoc orbe necessariò vagatur. Ideo
opera danda est, ut quàm celerrimè hinc ad per-
petuitatem emigremus. Migratio verò illa est,
fieri conformem Deo, quantum fieri potest.
Conformitas verò illa est, fieri iustum & san-
ctum cum sapientia. Et paulò post: θεὸς οὐ-
δαμῆ οὐδαμῶς ἀδίκος, ἀλλ' ὡς ὀϊόρ τε δίκ-
αιότατος. καὶ οὐκ ἔστιν αὐτοῦ ὁμοίωτε-
ρον οὐδὲν, ἢ ὅς ἂν ἡμῶν αὖ γένηται οὐ δίκ-
αιότατος. Deus nunquam & nulla modo
ini-

iniustus est, sed perfectè iustus, similimus au-
tem ipsi est, quicumq; inter homines est iustissi-
mus. Alibi etiam, vbi de illa certa norma, &
lege gubernante actiones in vita loquitur, di-
sputat, ex hac consideratione necessario statui,
vnam esse mentem æternam, custodem ordinis
in vita: In illa verò commenticia multitudine
Deorum Ethnicorum, eorumq; inter se, vt est
apud Poëtas, dissidentium, non posse monstrari
constantem regulam in vita. Ex istis itaq; per-
spicue ratiocinatur Plato, Summum bonum
quod adipisci homo in hac vita potest, esse ex-
pressionem sapientiæ & virtutum, qualis in
Deo cernitur, cui respondet tranquillitas, &
læticia acquiescens in conscientia rectè facto-
rum, sicut apertè hæc dicit in Philæbo. Aristo-
teles autem maluit loqui populariter, & suum
auditorem deducit ad aspectionem propriè na-
turæ, & cum sentiamus dissidium sæpenumero
esse, inter mentem, quæ veras, & iustas actio-
nes omnibus rebus antefert, & inter partem
appetentem, quam affectuum Euripi ad volu-
ptates etiam turpes rapiunt, docet istam naturæ
imbecillitatem sanandam esse suavi hac doctri-
na Ethica, & hoc freno τὸ ἐπιθυμητικὸν co-
bercendum esse, vt discat suo gubernatori pa-
rere. Iure autē has cogitationes doctissimæ an-
tiquitatis consideramus & magnificimus, quæ

Et veræ sunt, Et multis modis in vita vtilis.
Sed tamen genera doctrinarum prudenter nos
discernere oportet. Non ideo, etsi de Deo, Et
virtutibus honestissimè loquuntur, Plato, A-
ristoteles, Et alij sapientiores apud Ethnicos,
existimemus nihil opus esse Euangelio, aut et-
iam frustra Deum, expressa voce post lapsum,
legem suam tam sæpè repetivisse, qualis fuit
caligo superioris sæculi, in quo dominati sunt
Monachi, qui putabant, etiam amissis libris
Propheticis Et Apostolicis, posse doceri Eccle-
siam ex Ethicis Aristotelis, Et tamen genus
Philosophiæ ita dilutum, Et cœnosum propone-
bant, vt nec Peripatheticum, nec Euangelicum
dici posset. Ac rectè quidem Plato nos deducit
ad Deum, Et iubet, vt ipsi fiamus similes. Lu-
cet etiam in mente nostra noticia ordinis, discer-
nens honesta Et turpia, quæ certè monstrat, esse
Deum, docet etiam quales nos esse oporteat, vt
ipsi simus conformes. Et quidem nihil glorio-
sius prædicari potest de homine, quàm mentes
nostras esse specula, in quæ Deus radios suæ sa-
pientiæ transfudit, monstrantes ipsum condito-
rem, Et cæteras res bonas in vita, sicut Paulus
inquit: Deum se manifestasse hominibus. Et
apud Salomonem: Filius Dei, qui est sapien-
tia æterni patris, lucens in ordine creationis pa-
refacto, dicitur ludere in orbe terrarum, Et
precipue

præcipuè delectari familiaritate hominum. Sed
interea agnoscamus ingens malum, quod hæret
in hac natura, & quod non cernit Philosophia,
ac sciamus illas ipsas commonefactiones Ethi-
cas, etsi sunt suaves & rectæ, tamen esse muti-
las & mancas, & sapientiam Euangelij prola-
tam à filio, longè positam esse extra conspectum
omnium creaturarum. Caligo enim humana, in
hac naturæ depravatione, non constituit certam
normam, si non regitur verbo patefacto in Ec-
clesia. Ideò Ethnici semper aliqua præcepta
Decalogi euerterunt, alij plura, alij pauciora.
Statuit quidem vera Philosophia, vnum esse
numen omnia conseruans, à quo reliqua corpo-
ra sustentantur, Sed quæ sit illius vnici Dei es-
sentia, quæ voluntas, & quomodo eum coli
oporteat, ignotum est Philosopho. Sextum
etiam Decalogi præceptum, de vitandis libidi-
num confusionibus, omnes gentes extra Eccle-
siam obscurarunt, aut euerterunt, nec accusat
vagas libidines Philosophia. Ideò Deus sta-
tim in Paradiso, illud clara voce in natura ad-
huc integra sanxit, vbi dixit: Relinquet homo
patrè & matrem suã, & adhærebit vxori suæ.
Secundò non intelligit philosophus causam illi-
us dissidij, quod est inter mentem rectè iudican-
tem, & partem appetentem, repugnantem illi
iudicio, neq; accusat illam immundiciem inte-
riorem,

riorem, aut naturæ ἀταξίαν, sed tantum leui,
& exiguo folio fici ingens hoc vulnus tegere,
& sanare conatur. Tertio, ingens illa in euen-
tibus humanis irregularitas, assensum in homi-
ne turbat, vt languidè veras sententias acci-
piat & retineat. Opprimitur Socrates innocens
à sceleratissimis hominibus. Vbi tunc apparet
custos illius æternæ normæ gubernantis vitam?
Pompeius post cladem Pharsalicam inquit ad
Cratippum philosophum, nunc sibi excussum es-
se vniuersum assensum de prouidentia, cum ipse
in meliori causa succubuerit. Has igitur tene-
bras, cum aspiciamus, sciamus nobis opus esse
alia norma fidei, & vitæ, quam monstrat scri-
ptura Prophetica & Apostolica. Descripsit
autem Deus in vna tabella, quam Decalogum
nominamus, veram & æternam normam sapi-
entiae & iusticiæ suæ, quæ monstrat qualis ipse
sit, & quales esse oporteat omnes creaturas in-
telligentes, vt ipsi sint similes, & damnat om-
nes, qui non sunt conformes, nisi fiat remissio in
hac vita propter filium D E I Mediatorem.
Hanc normam sæpè repetiuit, & post eductio-
nem populi ex Ægypto, ipse Filius eam clara
voce in monte, spectante ingente multitudine,
inter flammæ & fulmina sonuit. Illustrarunt
eam & Prophetæ, Apostoli, & ipse filius Dei.
Sancit eandem etiam autor eius quotidie, in
specta-

Speſtaculis horribilium pœnarum, quæ in gene-
re humano, propter violationem huius normæ,
conſpiciuntur, & eos qui non ad ipſum conuer-
tuntur, æternis pœnis opprimit. Eſi enim in-
terdum florent contaminati tragicis ſceleribus,
atq; è contra ἀγαθὸς ἀνδρῶν ἢ τὰ δευτέρῃ
τὰ φέρον in hac vita, in qua non ſemper ad
pœnam rapiuntur fontes, tamen vox diuina do-
cet reſtare aliud iudiciũ, in quo illuſtre discrimen inter pios & impios cernetur. Hæc igitur
eſt illa perpetua & perfectæ regula vitæ, cui
in tota æternitate Eccleſia Angelorum, &
beatorum hominum erit conformis. Diſputa-
tiones verò Philoſophicæ, tantũ ſunt angu-
ſtæ deſcriptiones virtutum, in communi vita,
pertinentes ad diſciplinam, & frenantes loco-
motiuam, ne illa contra Legem Dei in externis
geſtibus delinquat. Eſt deinde alterum do-
ctrinæ Chriſtianæ caput Euangelium, promiſſio
gratuita de Mediatore, quæ offert remiſſionem
peccatorum & liberationem à maledictione le-
gis, & reſtitutionem in noſtra natura efficit,
per Spiritum ſanctum. Hanc nec naſcentes no-
biſcum afferimus, nec ex ſcriptis Philoſophicis
accipimus. Ideò, eſi Plato ſatis appoſitè con-
cionatur de conformitate hominis cum DEO,
tamen iter ad illam cœleſtem migrationem non
intelligit, nec videt quomodo mala, id eſt, pec-
cata,

tata, possint extirpari, & qua ratione vulnera
nostræ naturæ sint sananda. Prudenter igitur
metas Philosophiæ teneamus, nec cælum terræ
miscemus, ut est in proverbio, sed tribuamus
suum locum disputationibus Ethicis, quæ blan-
da oratione frenum iniicere student turbulentis
affectuum procellis, & naturam ad quandam
harmoniam assuefacere. Et interea nos conuer-
tamus ad beneficum & clementissimum nostrum
Samaritanum, qui vulnera nostra mundat &
glutinat, et in nos deriuat succum nouum, emen-
dantem illuuiem veteris naturæ, & effuso suo
Spiritu in corda nostra, excitat tales motus, qua-
lis est ipse. Ita verè sanatur & restituitur illa
prima harmonia, turbata per Diabolum, & la-
psum hominis, & omnia rursus ad vnum redi-
guntur caput. Etsi verò magna est exilitas E-
thices Philosophiæ, quæ vix tenuis παιδαγωγία
est, collata ad Ecclesiæ sapientiam, tamen
nequaquam existimemus, frustra in scholis eius
præcepta proponi. Crescit quidem hoc profano
& Epicureo sæculo petulantia ingeniorum, &
Cyclopica barbaries. Odit adolescentia non solum
disciplinæ & legum carcerem, sed etiã septa ar-
tium, et in multis ea est ingenij vanitas, ut qua-
si secessionem à publicis Scholis faciant, omnem
reuerentiam erga Deum, & Præceptores exu-
ant, audacissimè ludant opinionibus, & artes
quæ

quæ sua certissima habent κριτήρια, quasi per
manus quasi traditas à prima antiquitate acce-
pimus, & quæ manifestū vsum in vita habent,
nullo cum pudore conturbent. Multò verò ma-
ior est licentia atq; effera audacia multorum in
vita, & moribus, vt cum dolore et lacrymis ex-
periamur In homines quodāmodo Ἰσχυροῦσι
δύναμι, & nec his blandissimis concionibus, nec
seueris supplicijs legū, et magistratus, errantes
cupiditates eorum intra metas posse coherce-
ri. Non tamen propterea vox docentium con-
ticeat, neq; existimemus nos πρὸς τὴν ἀπὸ πρᾶ-
κτα, & omni in docendo carituros successu. Vt
enim in reliquis artib. illi optimè proficiūt, qui
recto ordine præcepta artium discunt, quæ solæ
verum iudiciū de rebus formant, ita proderunt
hæ commonefactiones melioribus, quorum na-
turæ sunt rectiores, & vinculis legum se liben-
ter frenari patiuntur, imò, in quorū pectoribus
veras, & natiuas virtutes accendit Spiritus
Dei, congruentes cum natura diuina qualis est
ipse. Proderunt verò præcipuè ad amorem di-
sciplina, quæ tale bonū est in homine, vt Aristo-
teles illud ipso lucifero statuat esse pulchrius.
Et tamen longè excellentiori Elogio hoc ornat
Paulus, qui dicit, legem esse Pædagogū in Chri-
stum. In homine enim furenter indulgente su-
is iniustis cupiditatibus, nequaquam efficax est
Spiritus

Spiritus sanctus, qui non confirmat furores & scelera. Sed in veris pavoribus excitatis voce legis, pædagogi punientis, et ferientis corda nostra, exuscitat fidem Christus, & legem suam mentibus credentium inscribit. Studiosè igitur colligamus, & discamus conclusiones istas in lege naturæ extructas, usq; ad formandos mores in ciuilibus officijs, in contractibus, in præstanda obedientia erga magistratum, & efficiendis omnibus virtutibus utamur. Cum etiam demonstrationes Ethicæ fons sint doctrinæ Iurisconsultorum, quæ est neruus politicæ societatis, diligentius cognoscendæ sunt. Non enim, vt Hyppias dixit: Lex est Tyrannus, nec est venenum, vt Politianus nominat, aut calliditas quædam, excogitata ad decipiendos, & emungendos homines, quod affirmare horribilis est contumelia aduersus Deum, sed verè leges honestæ sunt riuuli, deducti ex naturali noticia impressa humanæ menti in prima creatione, & descripta optimo ordine in Decalogo. Etsi autem non similiter illis assentimur, sicut certò accipimus principia, quæ nominantur Speculabilia, tamen non minor horum est veritas, & ipse Deus custos, & executor est ordinis in vita, infligens pœnas contumacibus, etiam tum, cum videntur altum dormire οἱ φύλακες τῶν πολιτῶν, vt dicitur: θεὸς οἶδε δικάζει, & vt
Psalms

Psalmus inquit: Certè est Deus iudicans ho-
mines in terra. Præterea ideò amemus doctri-
nam de virtutibus, vt iuxta præceptum Pla-
tonis, etiam ipsius Dei fiamus contubernales, et
verè cogitemus qualis ipse sit. Manifesta &
evidens utilitas est præcepti: Non occides,
& illud magistratus magna pœnarum atrocita-
te munijt. Simul autem causas in Deo aspicia-
mus, cur hæc ita sanciuerit. Verè amat æternus
pater filium, qui humanam naturam propter
nos assumpsit, & propter eum nos, qui ipsius
massæ tanquàm surculi inserimur. Ideò sicut
nec filium imaginem suam vult trucidari, ita
etiã vult parci vitæ credentiũ, qui sunt mem-
bra Christi, & domicilium diuinitatis. Et sicut
interfecto Christo, superstes est natura diuina,
quæ sociam naturam desiderat, ita iugulato ho-
mine contra legem Dei, superest anima, quæ
vindictam ordine iusticiæ poscit, sicut scriptum
est: Sanguis fratris tui clamat ad me de terra.
Grata igitur mète, & ἀμφοτέρωθεν χόρσι am-
plectamur hanc dulcem doctrinam, quæ sapien-
tiam Dei depingit, & nos ad similem rectitudi-
nem hortatur. Cumq; magna pars vitæ rega-
tur doctrina virtutum, earumq; exemplis, quo-
tidie in dicendo & scribendo necesse est præci-
pua lumina orationis nos mutuari ex istis con-
tionibus, & nullam gratiam habet sermo, in quo

B

NON

non pulchra dicta vel exempla Ethica, tan-
quam illustres stellæ micant. Moueamur igitur
hiscæ de causis ad amorem disciplinæ, & huius
doctrinæ, & cogitemus de præcepto Syracidæ:
Vir sapiens non odit legem, sed hypocrita in le-
ge est velut cymba in tempestate. Non imite-
mur naturas efferas & cyclopicas, quæ horribi-
li fremitu diuinas leges, & disciplinam, velut
tristissimam carcerem oderunt, neq; simus hy-
pocritæ, qui leges suis volunt seruire cupidita-
tibus, quærunt varia & fallacia consilia, eaq;
prætextu legum ornant, & tandem in æternos
dolores ruunt, sicut Alcibiades, Critias & mul-
ti alij. Sed verè amemus vocem legis, qua De-
us nos erudit, & nos ab ipso regi petamus. Ex-
uscitet etiam studium nostrum ipsum genus
scripti, nempe isti aurei libelli de virtutibus
donati huic Scholæ à viro verè sanctæ memo-
riæ, Domino Philippo, quorum profectò ea est
bonitas, vt omnes omnium disputationes, quæ
ex Philosophia in hoc argumento prodierunt,
longissimè excellant. Sicut enim pectus ipsius,
ardebat vera luce fidei, & veris virtutū flam-
mis, accensis à Spiritu sancto, ita nō solum mon-
strauit illa dulcia folia ficorum Philosophica-
rum, quæ sunt squalida tegumenta immundæ
naturæ, sed depinxit veras & natiuas virtu-
tes, manantes ex ipso Deo, & descriptas in De-
calogo,

calogo, ad quem cogitationes Aristotelis prudentissimè accommodavit, & simul intexuit explanationes multarum controuersiarum, quæ in hoc genere à Philosophis motæ sunt, & quarum cognitio utilis est, ad dijudicationem multarum rerum, & ad mores gubernandos. Deniq; ex doctrina Iurisconsultorum, in calce addidit pulcherrimas rationes de contractibus, proprietatibus rerum, & cognatis materijs, quæ non solum bonis mentibus sunt mirificè dulces, sed etiam lumen præbent in grauissimis vitæ negotijs. Audio ex nostris hominibus, qui in Gallia didicerunt doctrinam Iurisconsultorum, Franciscum Duarenum, Iurisconsultum clarissimū, sæpè solitum dicere, nullum hætenus scriptorem extitisse, qui tam fœliciter legum fontes commonstrarit, quàm hic noster sanctissimus senex in eo libello, quem elementa doctrinæ Ethicæ inscripsit, hortatumq; fuisse adolescentes, vt nunquàm eum de manibus deponerent. Et affirmant viri fide digni, in eadem esse sententiã Michaëlem Hospitalem, regni Gallici Cancellarium, virum omni genere virtutis & eruditionis ornatissimum, verumq; (vt ait doctissimus ille Turnebus) Gallia pacatorem. Talium virorum iudicijs atq; exemplis simul moti, hanc doctrinam & ipsi magnificiamus, ac discamus, propter multiplicem eius in vita vsum.

Nam & ipsum D. Praeceptorem familiari sermone saepe dicere meminimus, quemlibet hominem & prima elementa Medicae artis, propter curam tuendae valetudinis, & legum, propter consuetudinem ciuiliis vitae, nosse oportere. De mea autem persona breuiter, & verecunde loquar. Quod a prima aetate, instillantibus mihi parentibus, & praceptoribus, verè Deum precatus sum: Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam, & iustificationes tuas doce me: Seruus tuus sum ego, da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua, Idem nunc pijs suspirijs quotidie repeto, & cum ex illa Elystorum Eleutheropoli, quam filius Dei a tyrannide Diaboli, & fecibus idolatriae liberauit, vt quae puriori doctrinae Euangelij, & bonis literis, nec insuauae nec sterile praebet hospitium, egrederer, seria inuocatione pia vota Moysis subsequutus sum: Domine, nisi tu precedas, non educas me. Agnosco meam infantiam, & in omni re imbecillitatem, verum cum obediam Deo me trahenti, & magistratui vocanti, fiducia diuini auxilij, officium meum faciam, & fidelitatem meis auditoribus praestabo, quibus, si quadam captatrice blandiloquentia non satisfecerò, aut oratoria Gorgone animos eorum non terrebò, tamen rerum & doctrinae qualicumque bonitate, ne melioribus, & rectè studiosis prorsus displice-

Spliceam, operam dabo. Cùm cogito autem de
cursu meo, spero meam hac in parte fortunam
fore Socraticam. Nam & ego cùm gignere nō
didicerim, saltem obstetricis munere vt utili-
ter fungar, Deo dante curabo, vt fœtus, pul-
chros illos quidem, quos in hac schola effudit
sanctus noster præceptor, quo potero studio &
industria excipiam, eosq; meis auditoribus pro-
ponam. Atq; vt idem Socrates apud Xenophon-
tem inquit: τὰ αὐτῶν παρὰ τῶν αὐτῶν sona-
bo, quibus & isti parietes, quos illa salutaris
vox toties verberauit, iam assueuerunt. Hunc
meum conatum, si non plausibilis futurus est,
sicut non quæro κροτοθόρυβον, spero tamen v-
tilem fore studijs aliquorum, quibus bonæ res,
vbi adoleuerint, et ad graues functiones ascen-
derint, longè gratiores erunt, quàm magnæ ver-
borum strues, aut Asiatica quædam grandilo-
quentia, qua hæc Schola nunquam, vel vsa vel
delectata est. Vtinam possemus, dicebat nostra
beata anima, eadem non tantùm iisdem verbis,
sed etiã syllabis efferre. Quid esset optabilius?
quid melius? Videtis quantū bonū sit, quòd iisdē
numeris homines viuunt. Clarissimis verò &
doctissimis viris, præceptoribus meis singulari
cum obseruantia colendis, qui tam egregium
iudicium de me fecerunt, & agminis sui me vo-
luerunt esse παγὰς ἔτιω, reuerenter gratiam
B 3 habeo,

babeo, ac vicissim dabo operam, ut meæ quoque
erga ipsos piæ affectionis, extet testimonium, et
perpetuam illis reuerentiam, gratitudinem, &
studium tuendi communem concordiam, pro-
pter quod semper hæc Academia fuit celebris,
polliceor. Cumque hoc ferreo sæculo, in paucis sino
candor, & animi moderatio, eorum præcipue
benevolentia etiam deinceps me commendo. To-
to autem pectore rursus oro filium Dei, in quo
est πᾶσα ἰκανότης ἡμῶν, & qui facit ut ocu-
lus videat, & auris audiat, ut mihi docenti
præluceat, & faciat vocem meam ministram
gloriæ Dei, & salutarem aliquibus in hoc cæ-
tu. Beneficiat etiam ipse inclyto nutricio, &
clementi benefactori huius Academiae, & Ec-
clesiæ, illustrissimo Principi Electori, Domino
nostro clementissimo, qui nobis hæc oia fecit,
et iudicat, nihil tam Principe dignum esse, quam
Ecclesias & scholas fouere, & ornare, quas
σοφῶν, curaque verè heroica complectitur, ita ut
hæc etiam in parte veteribus regibus, Cyro,
Artaxerxi, qui templum Domini magno sum-
ptu ædificarunt, Constantino, Theodosio, &
paucis alijs annumerari possit. Aternus Deus
σῶτηρ Ecclesiæ suæ, in tantis dissidijs & malis
generis humani, hunc sanctum, & beneficum
magistratum nostrum, unà cum augusta sua fa-
milia, in pio & florenti cursu vitæ, & guber-
natione

natione diu conseruet, & ornet iuxta promissionem: Glorificantes me glorificabo, & auertat à nobis omnem impium & crudelem magistratum, qualis est tristis, & blasphema potentia Turcica, & Mahometica, quæ saluificam Dei lucem, & Ecclesiam sanguine extinguere conatur, & nos omnes faciat vasa misericordiae, et organa salutaria Ecclesiae, & multis hominibus, vt in hac vita, in vna, & consentiente sententia veritatis, ipsum verè agnoscamus, & inuocemus, & deinde in tota aeternitate, ipsius conspectu perfusi, aeterna vita, sapientia, & læticia fruamur.

D I X I.



B 4

Discursus

DISCVRSVS
DE IVSTICIA
ET ΔΙΑΪΡΕΣΙΣ VO-
cabuli Iusticiae.

HOC A doctrina virtutum omni-
um, ideò diuinitus patefacta est
hominibus, vt sit testimonium,
ostendens esse Deum, & qualis
sit, & discernens eum à malis
naturis Diabolis & hominibus. Ac vult De-
us in nobis suarum virtutum similitudinem es-
se, vt ipsius domicilia fiamus. Igitur doctrina
Ethica de virtutibus, diligenter cognoscenda
& exercenda est. Prima autem & præcipua
virtus est Iusticia, qua nulla pulchrior lucet,
excepta Misericordia, etiam in ipso Deo, qui
verè iustus et æqualis est, in omnibus damnans
peccatum, & rursus æqualiter recipiens omnes,
qui confugiunt ad filium Mediatorem. Ideò
et de homine, qui est imago Dei, Paulus inquit:
Conditum esse eum in Iusticia & sanctitate.
Et alibi inquit: Omnium maxima dilectio. Et
Aristoteles ait, neq; Hesperum, neq; Lucife-
rum formosorem esse Iusticia. Sectatur enim
eam & sanctitas, & veritas, & fides, & odi-
um vitiorum, vt testatur idem Aristoteles cum
inquit:

inquit: ἀκολουθεῖ τῆ δικαιοσύνῃ, ἢ ἡ ὀσιότητι, ἢ ἡ ἀλήθειᾳ, ἢ ἡ πίστει, καὶ ἡ μισοπονησίᾳ. Nam Iusticia est quasi Domina, & Mater, nutrix, & gubernatrix inter homines omnium aliarum virtutum, quæ vacare ea non possunt, & est præcipuum vinculum societatis, & pacis in hac civili hominum consuetudine. Ut igitur aspectus syderis illius, Hesperii & Luciferi, mirificè delectat homines, ita multò magis necesse est etiam nos capi huius doctrinæ cognitione, in qua forma & pulchritudo iustitiæ cernitur. Ideò pro conclusione loci, qui de hac virtute in libro Officiorum Ciceronis exilis ac tenuis est, vt aliquoties inter enarrandum ostendimus, instituam breuem discursum de Iusticia, & διαίρεσιν vocabuli Iustitiæ, vt auditores ex hac methodica deductione, summam & quasi Ideam quandam doctrinæ de hac virtute, mente & animo concipiant, sumptam ex Philosophia seu iudicio humanæ rationis, ac tandem etiam ex Euangelio, & doctrina, quæ propria est Ecclesiæ. Ingeniosissimus ille Plato in Cratylo, vbi disputat περὶ ὀνομάτων ὀρθότητος, dubitat vnde sit deducenda Etymologia vocabuli δίκαιο. Definit autem vel sententia veterum, δίκαιο esse, quasi πᾶντα διαίρειν, quod omnia transit, & omnia gubernat. Nō iustum est hoc, quod est regula omnium conflict-

orum, & actionum in vita. Aut δίκαιον esse
quasi δίκαιον, & res eodem redit, id est, iustum
est hoc, quod constituit discrimen inter honesta
& turpia, de quo præcipitur in Ethicis, & in
legibus. Rectius verò est vocabulum deduce-
re ex origine Hebræa, zadick. Quia lingua He-
bræa est mater omnium linguarum. Etsi verum
est, quòd Plato in eodem loco dicit: Rebus esse
nomina imposita à viro sapiente, Certè Adam,
qui fuit nomenclator primus, prudenter singu-
lis rebus nomina accommo. lauit. Latinis autem
iustum est à iure. Quia hoc est iustum, quod ius
seu lex iubet, & noticia præcedit, & est lumen
cognitionis. Ipsum etiam ius est à iubendo, sicut
lex à legendo. Nam veteres legumlatores cir-
cumibant sua oppida, & publicè ciuibus reci-
tabant leges, vt Minos apud Cretenses, Rada-
manthus, & alij. Omnes etiam veteres Politi-
ci, qui Rebuspub: condiderunt leges, finxe-
runt se habere colloquia cum Dijs, vt Minos
cum Ioue, Numa cum Egeria, Lycurgus cum
Apolline. Quia cupiditates imperitæ multitu-
dinis facilius cohercentur terrore, vel terribili
quadam autoritate, quàm ratione & demon-
strationibus. Ita Enthusiastæ omnibus ætati-
bus, multos dementarunt simulatione arcani
commercij cum Deo, vel Angelis. Vt olim Pe-
rusiani. Et recens autor furoris Anabaptisti-
ci, Ni

ci, Nicolaus Storch, Monetarius, & alij. Sic &
Stenckfeldiani quærent afflatus singulares ex-
tra verbum patefactum. Et hoc imitantur Fla-
ciani, qui non deducunt mentes, ad cogitatio-
nem & meditationem verbi scripti, sed fingunt
raptus in homine nihil agente, aut etiam repu-
gnante. Sonat autem in Ecclesia duplex ge-
nus doctrinæ: Lex & Euangelium, quæ duo nõ
confundi possunt sine graui scelere, & perniciæ
Ecclesiæ. Vtrũq; genus concionatur de sua qua-
dam Iusticia. Ergò sit hæc prima diuisio: Alia
est Iusticia legalis, alia Euangelica. Nam quia
lex aliquomodo natura nota est, & manserunt
etiam in natura corrupta aliqua veræ noticiæ
de Deo, & rebus bonis, quæ sunt conclusiones
congruentes ad propositiones Decalogi. Ideò
etiam in libris Philosophorum, qui recta metho-
do tradiderunt Ethicem, proponuntur descri-
ptiones, & partitiones Iusticiæ, congruentes ad
legem Dei. Sed Philosophia est manca et mutila,
quia ignorat malum originis, & auersionem na-
turæ à Deo & lege ipsius, non intelligit malum
illud accusari & damnari lege Dei. Nec sta-
tuit requiri perfectam iusticiam, quæ est inte-
gra conformitas cum Deo. Ideò omnes gentes
confirmarunt aliqua scelera contra legem Dei,
& aliqua præcepta deleuerunt. Sicut Plato in
sua Repub. permittit promiscuas libidines
contra

contra præceptum: Non mœchaberis, & turbat
distinctionem dominiorum vel facultatum, con-
tra præceptum: Non furtum facies, etsi illæ
hyperbolæ Platonis cōmoda aliqua interpreta-
tione possent mitigari, sicut excusantur ab ali-
quibus, vid: describere eum voluisse Ideã bo-
ni viri, & boni status Reipub. quæ σὸφα φάγ-
ματτα relinquitur. Nec Philosophus intelligit
sanationem huius naturæ sauciæ. Ideò nō doce-
tur in libris Philosophorum iusticia legis perfe-
cta & integra. Est igitur iusticia Philosophica
pars legis diuinæ, quatenus lex de externa di-
sciplina præcipit. Huius iusticiæ philosophicæ
primum inuestigemus descriptiones & diuisio-
nes. Verustissima scripta apud Græcos de iusti-
cia, sunt poëmata, in quibus recitantur præce-
pta, de obedientia præstanda Deo, & de offi-
cijs necessarijs in ciuili consuetudine hominum.
Hæc fuit antiquissima sapientia, quam Ethnici
retinuerunt ex doctrina Patrum, amissa pro-
missione Euangelij, quæ est sublimior, & ma-
gis aliena à iudicio rationis. Nam prudentes,
quorum iudicia sunt formata doctrina & vsu,
amant naturales ratiocinationes & demonstra-
tiones, et difficulter admittunt hypotheses, quæ
non congruunt ad κριτῆσι naturalia. Simul
etiam Ethnici retinuerunt aliqua externa spe-
ctacula sacrificiorū, quia natura amat ordinem,
&

et ceremoniæ sunt nervi societatis, & quod quisque est melior, eò magis amat veteres & patrios ritus, qui propter memoriam maiorum etiã, dulces sunt. Ideò Herodotus vituperans furores & impios ludos Cambysis, inquit: Οὐκ ὡρῆικες ἔστι ἀλλὸ γε ἢ μαινόμενον ἄνδρα γέλωτα τῶν νόμων τιθεῖς. Nemo ridet receptos et veteres ritus in vita, nisi ille qui mente motus est. Cumularunt autem ceremonias, & excogitarunt abusus palam absurdos & impios. Quia natura quæ non regitur luce verbi diuini, non manet intra metas, et semper religiones ostentatione, & superbia humana, conuertuntur in pompam, in qua sunt stultæ emulationes, sicut etiã accidit in regno Pontificio. Antiquissima autem carmina sunt Orphei, Lini & Sibyllarum. Quæ deinde collegisse dicitur Phocylides, & sunt commonefactiones de omnibus virtutibus. Ita posteritas aliquandiu fuit diligens, in custodienda ista doctrina. Postea Homerus, & Poëtæ posteriores, simplicitati antiquitatis addiderunt colores, sumptos ex historijs veris & fictis. Quia enim natura hominum defatigatur omnibus rebus, ideò magni Oratores subinde conantur κοῖνα καὶ νῶς dicere. In docendo verò valdè grata sunt exempla, quæ non minus erudiunt quàm regulæ. Sunt enim picturæ incurrentes in oculos, ex quibus mens colligit similia

milia & dissimilia. Simile fuit consilium Ly-
ricorum, Tragicorum, & Comicorum poetarum.
Nam ipsi ludi Scenici erant spectacula, quae
monstrabant regulas vitae & euentus congru-
entes cum regula, vel ab ea discrepantes. Phe-
cydes deinde, & Pythagorae doctrinam de iusti-
cia nimis crebris inuolucris obscurarunt, &
illi qui nominati sunt septem sapientes Graeciae,
non secuti sunt methodum in tradendis prae-
ceptis, sed multa dixerunt confuse et inconsidera-
te. Socrates autem conatus est suos ciues flecte-
re ad amorem iusticiae, docendo, arguendo, &
suo ipsius exemplo. Apud Xenophontem igitur
in colloquio cum Hyppia, recitatur ipsius
definitio breuis, & admodum rotunda: τὸ δίκαιον
ὅτι νόμιμον, Iusticia est obedientia erga le-
ges. Plato vero examinat multorum opiniones &
descriptions, ac tandem constituit definitionem
eiusmodi: δίκαιόν ἐστι τὰ ἴδια πράττειν, καὶ
μὴ πολυπραγμονεῖν. Iusticia est facere ea,
quae sui sunt officij, & non ingerere se in alie-
na. Hanc declarat deductione admodum erudi-
ta, Semper, inquit, turbato ordine, turbatur vi-
ta. Primus igitur & maximè necessarius gra-
dus, in societate ciuili est, vt quilibet suo loco
faciat officium. Vt, miles non excutiat agri-
colam, agricola non impediatur iudicem, & expe-
tat leges Agrarias. Tribuatur suus locus &
Medi-

Medico, & quam quisq; nouit artem eam exer-
ceat. Norma autem collocationis personarum in
vita ciuili est lex publica. Aliud enim est of-
ficium Consulis, aliud Aedilis, aliud Quaestoris,
aliud Licetoris. Custodire igitur istos gradus
est custodire iusticiam. Verum addit Plato,
Frustra disputatur de ordine seruando in vita
exteriori, nisi singuli ciues intus tueantur con-
uenientem harmoniam. In homine autem tres
sunt summae potentiae: ἡγεμονικόν, θυμικόν
& ἐπιθυμητικόν. In illis igitur seruetur legi-
timus ordo. Non interficiat Aegisthus Aga-
memnonem, vt possit explere suas libidines.
Quia potentia suprema iudicat talia scelera es-
se contra naturam, & puniri à Deo. Non ser-
uat ordinem institutum in natura Antonius, qui
ingluuie & belluationibus corpus obruit, &
multa peccat ebrius. Recondat Achilles gladi-
um in vaginam, quia ira non debet praecurrere
iudicium. Iste igitur est ordo, vt cupiditates,
quae sunt res brutae, non rapiant regnum, sed
subsint imperio mentis, quae est ornata luce cœ-
lesti, cognata Deo & naturis aeternis. Ita respi-
cit Plato harmoniam, seu congruentiam trium
praecipuarum virium in homine, vt sit ei Iusti-
cia, Harmonia & concordia totius animae, cum
concinnitate: ἁρμονία καὶ εἰρήνη τῶν ὅλων ψυ-
χῶν μετ' εὐθυμίας, vt locuti sunt. Nor-

man

nam verò quam mens in iudicando intuetur, constituit Plato ipsum Deū, quia tunc est homo perfectus, quando est Deo conformis, Et quidem rectè hoc dicitur, sed Plato ignorans satisfactiones Dei, ignorat essentiam & voluntatem Dei. Ergò non satis dicit. Accessit deinde Aristoteles, tanquam interpres veterum. Vidit diuersum vsum esse vocabuli Iusticia. Nam aliter dicitur Aristides esse iustus, aliter mercator iustus, qui seruat æqualitatem in contractu, aliter Solon iustus, qui distinxit officia in Republica, & instituit diuersam collocacionem personarum. Vidit etiam diuersas descriptiones, traditas à veteribus, & Platone. Ideò ne confusio errores pareret, inuenit partitionem prudentem. Dicit: alia est iusticia vniuersalis, alia particularis. Iusticia vniuersalis est obedientia erga omnes leges. Intelligit autem leges honestas in qualibet Repub. congruentes ad iudicium rationis, & vtilis ad conseruationem societatis. Iusticia verò particulari accommodauit de scriptionem Simonidis, qui inquit: τὸ τὰ ὀφειλόμενα ἐκαστῷ ἀποδιδόναι, δίκαιον ἔστι. Iusticia & virtus suū cuiq; tribuens. Eam rursus distinxit in duo genera, quia in cōmuni vita, aut fit communicatio rerū, quibus indiget vita, aut fit collocatio personarū in diuersa officia, necessaria ad conseruationem ordinis

uit commutativam, alteram distributivam, sic-
ut ista docentur vberius in Aristotelis, & Phi-
lippi Ethicis. Nunc procedat partitio, & in-
uestigetur definitio iusticiæ legalis integræ. In
sola autem Ecclesia, vt dictum est, mansit ve-
rus intellectus legis Dei. Ideò ex doctrina Ec-
clesiæ præcipuè sumatur definitio. Iohannes
inquit: ἀμαρτία ἔστιν ἀνομία. Hoc rotun-
dum Apophthegma commonesciat iuniores,
opus esse ad explicationem doctrinæ cœlestis
Grammatica, & agnitione artium. Usitata
enim versio recitat inanem ταυτολογία, cùm
inquit: Peccatum est iniquitas. Sed erudi-
ti norunt, in priuationibus rectissimum esse
constituere definitionem nominata norma, quæ
significat habitum. Vt tenebræ sunt absen-
tia lucis, vt dicunt Physici. Quia enim dubita-
ri potest, vtrum de nocte imprimatur aëri ali-
qua qualitas, contraria luci, facilius est mon-
strare, absente Sole, qui est, fons luminis, & di-
ei, fieri noctem & caliginem. Sic & Aposto-
lus inuestigat descriptionem vocabuli, quod si-
gnificat horribilem priuationem in natura ho-
minis. Ideo nominat normam, quia destructio
multiplex est, Et sicut in ruinis magnificæ &
amplæ domus, difficile est ex ruderibus mon-
strare situm collocationis, & structuræ, qualis
prius fuit: Ita in homine difficile est monstra-
re for-

C

re for-

re formam primæ integritatis, & gradus destructionum vel auersionum. Ideò constituit certam regulam, determinantem priuationes in hoc subiecto, videlicet legem DEI. Omne hoc est peccatum, inquit, quod est contra legem Dei. Ergò ex conuersione hoc est iustum seu iusticia, quod congruit cum lege Dei. Et recta est definitio Socratica: τὸ δὲ ἴκονον ἔστι νόμιμον, sed hoc interest, quòd Socrates non intuetur legem Dei patefactam, & repetitam in Ecclesia, sed hæret in aspectione humanæ naturæ, cui insitæ sunt noticiæ de Deo, & de disciplina, sed languidæ, quia ignota est sapientia Euangelij, sine qua sapientia legis, in hac deprauatione est mutila, & assensus principiorum practicorum turbatur à duabus causis fortissimis, ab affectibus contrarijs, & à Diabolo, qui homines incendit contra iudicium rationis. Ecclesia autem regitur voce Legis, non tantùm quatenus impressa est homini in prima creatione, sed etiam quatenus post lapsum declarata et patefacta est. Lex enim data est per manum Mediatoris. Quod antiquitas exposuit de ipso filio Dei, qui fuit orator æterni patris etiam in legis promulgatione, & stans in cacumine montis propositiones Decalogi pronunciauit. Huc referenda est & vetus definitio, quæ extat
apud

apud Clementem Alexandrinum, ac circumtu-
lerunt & deprauarunt eam homines fanatici,
& Entusiastæ illius temporis, qui simulabant
singularem vitæ sanctimoniam, iactabant collo-
quia, & arcana cōmercia cum Deo, damnabant
ordinem politicū, diuellebant coniugia, sicut om-
nibus ætatib. sinceritas doctrinæ corrumpitur,
aut imaginationibus purè Philosophicis et con-
sistentibus in actionibus naturalibus, aut simu-
latione singularium & nouorum afflatuum,
quæ simpliciter est species delirij, & sæpè ma-
nifestas causas habet ex temperamento, vt di-
cebat & ostendebat Philippus. Definitio talis
est: Δικαιοσύνη ἔστι κοινωνία θεῶ μετὰ ἰσο-
τήτων. Iusticia est societas, qua sese Deus
nobis communicat, & est æqualitatis conserua-
tio. Sua natura legalis est, & complectitur
vtramq; tabulam Decalogi, ac loquitur de no-
uitate inchoata in conuersis. Nominatur enim
communicatio cum Deo, nouitas, vt conspiciat-
tur discrimen inter iusticiam renatorum, &
inter disciplinam, quæ non est ex inhabitatione
S. S. sed efficitur à naturalibus viribus. Ad-
ditur deinde mentio secundæ tabulæ, vt intelli-
gatur fieri renouationem totius hominis ad nor-
mam Decalogi. Quia hoc est iustum & æqua-
le, quod Lex sanxit, & sint imperia ordinata le-
gibus munientibus corpora, coniugia, distin-

Etionem facultatum, & contractus inter homi-
nes. Nec verò recipiantur somnia de promiscuo
vfu mulierum, aut bonorum, quia ista non est
æqualitas congruens cum voluntate & lege
Dei. Sed intelligatur æqualitas ordinata, Vt
æqualitas est occidi fontes, non fontes non occi-
di, & tribuere vnicuiq; quod suum est. Non
sequitur igitur, debere æqualitatem esse mar-
superiorum, coniugum, & aliarum rerum, quæ
non sunt ordinatæ lege Dei. Sed de Idolatria,
& libidinum confusionibus, omnibus ætatibus
acerrimè præliatus est Diabolus, cum illa fla-
grantissima incendia facilimè deleant inuoca-
tionem & fidem in animis hominum. Ac tan-
tum quidem de iustitia legali, quam ratio intel-
ligit esse obedientiam erga legem, sed Euange-
lium accusat eam, tanquam imperfectam &
mancam, & proponit aliam iusticiam, imputa-
tam videlicet, de reconciliatione, seu acce-
ptatione gratuita coram Deo propter filium
Dei Mediatorem. Est igitur Iusticia Evan-
gelij obedientia Filij Dei, nobis imputata &
donata, propter quam recipimur fide, qua fide
& viuificatio fit per ipsum filium Dei da-
to Spiritu sancto, sicut de hac imputatione
inquit Paulus: Finitis legis Christus est ad iu-
sticiam omni credenti. Et obedientia seu meri-
tum Filij Dei, ipsum formale est iustificatio-
nis.

nis. Concionatur igitur hæc iusticia de dona-
tione remissionis peccatorum, & imputatione
iusticiæ, cum qua donatione remissionis pecca-
torum, & cum qua imputatione Iusticiæ, sine
vlla dubitatione est coniuncta donatio Spiritus
sancti viuificantis & regenerantis nos, sicut
dicitur: Vt promissionem Spiritus accipiamus
per fidem. Ita ordine hæc tria in Iusticia de qua
concionatur Euangeliũ, consideranda sunt. Pri-
mũ donatio remissionis peccatorum, Dein-
de imputatio, qua reconciliamur & accepti su-
mus propter meritum seu iusticiam Christi, quæ
nobis imputatur. Tertiò donatio Spiritus
sancti seu noua vita, noua obedientia, noui mo-
tus in nobis Deo placentes. Vetustas autem di-
xit, in regeneratione nos contrahere cum Chri-
sto duplicem societatem, Spiritualem & cor-
poralem, quæ sententia cum ad phrasas scriptu-
ræ congruat, & multum lucis afferat doctrinæ
fidei, diligenter est consideranda. Et vitandæ
sunt confusiones Marcioniticæ, Manicheæ, Eu-
tychianæ, Serueticæ & Stenckfeldianæ, quæ
sectæ omnes delent veram doctrinam de filio
Dei, & de duabus naturis in Christo, & nostra
cum ipso vnione. Et hodie repullulant eadem
mala, cum magno detrimento Ecclesiæ. Homo
conuersus vnitur Christo, & toti diuinitati
spiritualiter, vel societate spirituali, quia fit

reconciliatio personæ reæ cum Deo, propter
Christum, & unio hominis ad Deum. In qua
reconciliatione verè præsens est diuinitas, suo
ordine, quia ista actio immediatè perficitur
à filio, qui est Redemptor. Et adest Christus
in illa actione, vt Cyrillus inquit, habitudine
vel relatione, aut per dilectionem, id est, æter-
nus Pater placatus obedientia Filij, ex persona
reæ facit non ream, & eam diligit propter fili-
um. Hic est primus gradus societatis spiri-
tualis cum tota diuinitate, & cum Christo, ad
quam plurima dicta scripturæ congruunt: E-
stis dilecti in dilecto. Sic Deus dilexit mun-
dum &c. Veniemus ad eum, & mansionem
apud eum faciemus. De Spiritu suo dat nobis,
&c. Deinde in renouatione, vel sanctificatio-
ne etiam hoc ad communicationem Spiritualem
pertinet, quòd in homine renato accenditur simi-
lis lux & iusticia, qualis ab æterno Patre in Fi-
lium, qui est imago & λόγος patris, propaga-
gatur, & quales motus diuinæ integritatis in
Patre & Filio, per Spiritum procedentem ab
utroq̄, fulgent. Sed in hac vita per inchoatio-
nem. Hic est alter gradus societatis spiri-
tualis cum tota diuinitate, quæ tamen principaliter
est cum Christo, præsertim in hac vita, quia
ipse est λόγος ostendens voluntatem Patris,
& agens in homine immediatè, respectu alia-
rum

rum Personarum. Societas autem, vel communicatio corporalis, præcipuè respicit modum sanctificationis, vel regenerationis. Nam regeneratio fit ad similitudinem humanæ naturæ Christi, & ideo gestat carnem suam ὁ λόγος, ut credentes massæ ipsius inserti, viuant in ipso, ut dicitur: Ego sum vitis vos palmites, & ut similia in ipsis efficiantur, qualia λόγος in sua natura efficit. Nam ὁ λόγος eadem agit in suo & nostro corpore, vno & eodem Spiritu, & suam & nostram massam viuificat, resuscitat ex morte, & in vtraq; habitat, sicut dulcissimis versiculis hanc consolationem exprimere conatus est Dominus Philippus, cum inquit:

Nil sum, nulla miser noui solatia, massam
Humanam nisi quod tu quoq; Christe geris.
Tu me sustenta fragilem, tu Christe gubernas,
Fac ut sim massæ surculus ipse tuæ.
Hoc mirum fœdus semper mens cogitet, vno
Hoc est, ne dubita, fœdere parta salus.

Modus verò istius coniunctionis, aut unionis, vel inhabitationis, non est Physica confusio substantiarum, sicut fingunt aliqui veterum, & recentiorum, sed exprimitur manifestè, cum alias sæpè, tum perspicuè hoc dicto: Qui adhæret Domino, vnus est cum eo Spiritus.

Modus .

rus. Sicut enim in humano corpore, membra, positu, figura, & usu differentia, hauriunt vitam à communi fonte vitæ, videlicet à corde, per similem spiritum, Ita communicatione eiusdem spiritus, credentes copulantur carnī Christi, vt membra suo capiti, & accipiunt à Christo fide, per eundem Spiritum, similem lucem & iusticiam, qualis fulget in ipsius natura quam gestat, & inenarrabili gloria perfundit ὁ λόγος. Igitur omnes saluandos oportet Christo copulari. Quod non potest fieri, nisi ὁ λόγος in nobis habitet. Iam verò cum λόγος & natura assumpta sint vnum ὑφιστάμενον, necesse est, cum λόγος in nobis habitans, nos sibi copulat per Spiritum sanctum, nos etiam copulari naturæ assumptæ. Ita docet Paulus ad Corinthios, & alias sæpè, credentes non solum vnā carnem esse cum CHRISTO, sed etiam vnum Spiritum. Nec dubium est Spiritum sanctum dari renatis substantialiter, non tantum per dona, vt volunt aliqui. Quia reuera ipsa substantia quæ est Spiritus sanctus, est in eis, & permiscet se ipsorum Spiritibus, in corde & cerebro, mouens eos, & efficiens in eis tales motus qualis ipse est, sicut expressè scriptura tradit hanc consolationem, vt dicitur: Misit Spiritum sanctum in corda vestra. Et: Effundam de Spiritu meo super omnem carnem,

nem, Meo inquam, qui est meæ substantiæ. In
altum hîc sese tollit consolatio Christiana. Sed
hæc pijs, non profanis mentibus, in exercitijs fi-
dei, & in precatione cogitanda sunt, non lace-
randa, sicut catelli lacerant panniculos. Ac
semper tamen discernere oportet Creatorem à
creatura, causam ab effectu, & sciendum est in
hac vita fieri tantum inchoationem æternæ vi-
tæ, non fieri transfusionem omnium donorum ex
natura humana Christi, quæ ornata est longè
excellentiore gradu glorificationis quàm ullæ
creaturæ, & præterea exaltata est in lucem
Dei, quæ creaturis non est accessibilis. Præ-
terea firmissimè tenendum est discrimen inter
iusticiam fidei, & novam obedientiam. Placet
in hac vita perpetuò persona, non propter no-
vas qualitates, effectas in anima, qualicunque
nomine illæ appellentur, sed propter meritum
soli Christi, quod semper in infinitum antefe-
rendum est omnibus virtutibus, quæ sunt in
nobis, quia illæ adhuc sunt languidæ & imper-
fectæ, & manet in nobis peccatum, sed non re-
gnans. Duplicem autem ἐπιεικειᾶν Euan-
gelium addit legi. Nam agentes pœnitentiam,
etsi rei sunt propter legem non servatam, pro-
nunciat esse iustos propter Christum iustum, &
illam inchoatam obedientiam, etsi est sordida &
imperfecta, tamen nominat impletionem legis,

quia peccatum tegitur per & propter Christi-
stum, qui est umbraculum. Ex hac enarrati-
one conspicitur, ideò redimi homines per Filium,
vt restituatur in nobis iusticia legalis, impressa
in prima creatione, & amissa per peccatum, sic-
ut dicitur: Vt Ius legis impleatur in nobis, Et:
Legē stabilimus per fidem. Sed hæc Dei benefi-
cio sæpè repetuntur in hac Schola & Ecclesia, in
qua seruet Filius Dei, Sol Iusticiæ, etiam dein-
ceps, doctrinã et distinctiones de iusticia, hoc est,
discrimen legis & Euangelij, quod confundere,
est fundamentũ Christianismi euertere. Dici-
tur lyra Orphei delata esse in Lesbum, hoc est,
ibi excitata est Schola, quæ propagauit doctri-
nam Orphei post mortem eius. Ita faciat Deus,
vt nostra Academia fideliter custodiat lyram
Lutheri & Philippi, & feliciter propaget vti-
les istos sonos studiorum, vt nunquam pes à ly-
ra, sermo à veritate discrepet. Ac vt Plato in-
quit: Ἐν εὐφροσύνῃ καὶ τελευτᾷ, Nemo verò
moriens precabitur, nisi prius in vita precari
didicerit, ita cum εὐφροσύνῃ, quæ est εὐκολώ-
τατ & πόνωρ, has etiam nostras operas, in
nomine Domini concludimus. Igitur ab fili
Dei, Redemptor et Saluator noster, respice vi-
litem & paucitatem tuæ Ecclesiæ. Quàm pau-
ci sunt vel intelligentes, vel defendentes veri-
tatem tuam, quanti furores sunt è contra mul-
tiplici-

tripliciter oppugnantium & turbantium rectè
constituta & tradita. Ergò tu ponas verba
tua in ora nostra, & vmbra manus tuæ prote-
gat nos, vt plantemus cælos. In Spiritu tuo
defendas nos, sisq; sicut murus igneus in circui-
tu nostro, & abscondas nos in tabernaculo tuo,
seruans nos in Ecclesia, & cum Ecclesia tua
ad perpetuum regnum, in quo ipse vi-
uens vita æterna regnabis in-
ter donatos vita
æterna, &c.

• I X I •



Oratio

ORATIO SCHOLASTICA, RECITANS

CAUSAS, CUR NECESSE SIT
tenera ingenia formari literis, & disciplina,
pronunciata ab eodem FERINARIO, cum
illi denuò commendaretur gubernatio studio-
rum, in oppido Elysiorum, FREISTA-

DIO. Die 23. Iulij, An-

no 1567.



VOTIES de admiranda guber-
natione Ecclesiae, in hac vita, de
liberationibus piorum, & actio-
nibus vocationum, quae varias
& dissimiles saepe habent vices,
cogito, una cum sapientissimo & ærumnosissi-
mo Propheta, in hanc prorumpo vocem: Scio
Domine, non est hominis via eius, nec viri di-
rigere gressus suos. Non regitur vita & voca-
tio nostra, sola humana sapientia, aut consilio.
Nec rectè ille præcipit, qui iubet, vt ex nobis
ipsis toti pendeamus, aut, vt alter inquit, no-
stram sagacitatem & calliditatem, reetricem
vitæ nostræ constituamus. Nam nec magnitu-
dini periculorum, nec moli negotiorum, huma-
nas vires pares esse manifestum est, & omni-
bus hominibus multa accidere, inextricabilia
humanis

humanis consilijs, & viribus videmus. Multa enim in operibus vocationum, in ordine euentuum, in liberationibus, in mitigationibus ærumnarum, fiunt à solo Deo. Vult enim Deus conspici suam præsentiam in Ecclesia, in illis mirandis liberationum exemplis, vult sciri, quòd exaudiat inuocantes, & simul vult nos exuscitari ad inuocationis, diligentia, & laborum exercitia, & vult nos esse organa aliquorum laborum, quos ipse adiuuat. Hac consolatione & spe salutaris exitus, me etiam mediocriter sustento, in his mutationum mearum fluctibus & varietate. Etiam Plato, cum toties Siciliam, vt ibi studia doctrinarum excitaret, reuiferet, dictus est subinde à Dæmone quodam, eò propter vtilitatem publicam retractus esse. Ita non dubito, Deo præeunte, me ex amplissimo cœtu docentium in celeberrima Academia huc reuocatum, vt mea qualicunq; opera, dulcissimæ patriæ, in propagatione bonarum literarum seruiam, & diuinitus gubernatos esse hos euentus, qui acciderunt, statuo. Totam igitur hanc ratiocinationem hoc prudenti epiphonemate & pio simul voto concludo: Me quòd Christe vocas, pietas secura sequetur. Et: Fac cum seruo tuo, secundum misericordiam tuam, & iustificationes tuas doce me.

Regressus

Regressus igitur ad meam veterem ca-
thedram, obsequor sermoni sapientis viri, qui
inquit: Cum in grauibus negotijs, etiam fide-
lissimi amici, sæpè solùm vota dare possint loco
consilij, rectissimum esse ordiri à precatatione:
ἀπὸ γούρ θεῶ ἡ πάντα ἀρχόμενον αὐτὸ
λέγεται καὶ νοεῖν. Tibi igitur vero, aeterno,
et omnipotenti Deo, qui es pater Domini nostri
IESU CHRISTI, qui vnà cum Filio tuo, et
Spiritu sancto, hanc mundi machinam gestas et
sustentas, qui propter et per Filium tuum,
quem voluisti esse admiranda sapientia μεσί-
την καὶ ἰκέτην, ad te confugientes fide in-
gratiam recipis, et aeternam Ecclesiam, ex hac
languida et squalida generis humani massa,
tibi excerpis, tibi toto pectore ago gratias, pro
omnibus beneficijs tuis, ostensis in ordine crea-
tionis, et redemptionis hominum, et nomina-
tim, quòd me etiam vocasti ad societatem Ec-
clesiæ tuæ, et ad agnitionem Filij tui, et quòd
in hoc itinere, vt viatori tuo Iacob, ita mihi, et
ærumnosa ac ægroto gregi meo, addidisti custo-
des sanctos tuos Angelos, qui suis castris nos
aduersus rabiem Diabolorum defenderunt. Te
inuoco propter Filium tuum, miserere Ecclesiæ
tuæ, quæ in hac mundi senectæ, et Diaboli, præ-
sagientis propinquum iudicium, furoribus, du-
riter quassatur. Serua tibi aliqua sancta agmi-
na,

na, reprime parricidia Diabolorum & impio-
rum hominum, nec sinas ante aduentum Filij
tui, totum genus humanum fieri blasphemum,
& abripi ad æternos cruciatus. Serua aliquas
politias, quæ excipiant & foveant languidum
corpus Ecclesiæ tuæ, & alant studia doctrinæ,
necessaria in vita. Fac vt nos omnes simus
non vasa horribilis iræ tuæ, qualia fuerunt
Pharao, Saul, Iudas, et multi alij, in quibus sunt
conspicua exempla potentie Diabolorum, &
tristissimi Iudicij tui, sed fac nos vasa miseri-
cordiæ, in quibus luceat tua bonitas, & gratia,
& organa salutaria Ecclesiæ tuæ, Reipub. &
animabus nostris.

Post hoc orationis meæ proëmium, pau-
ca nunc, cum officij mei ratio hoc postulet, de no-
stro hoc artificio, & de hac militia Scholastica,
in qua tenera ingenia ad pietatem & virtutem
formantur, dicam.

Certum est ita nasci omnes homines, vt
in hac prima ætate magna sit & corporis &
mentis imbecillitas, & vbi paulum accreue-
runt vires, conspicitur magna cupiditatum er-
rantium deformitas. Nec verò is languor vi-
rium ortum habet tantum ex naturali consti-
tutione, quod & tenerum corpus nondum à ca-
lore nativo perfectè excogtum, aut ad iustam
molens

molem formatum est, & anima in domicilio
nondum capaci nobilium actionum, adhuc tor-
pet, & cognitione vacillat, sicut artifex in con-
clavi obscuro, & tenebris obsepto, Sed ut qui-
dem voce caelestis doctrinae erudimur, ea caligo
mentis humanae, & omnium virium imbecilli-
tas, atque ἀταξία simul est ex quodam morbo,
& labe originis, quam nascentes nobiscum affe-
rimus, & quae est ex tristi quadam desertione,
quod Deus naturam hominis ream, propter pec-
catum, desijt implere sua diuina luce, & vita,
& quod deformata imagine Dei, impressa ho-
mini in creatione, homo mersus est in tristes te-
nebras, in eoq; integritas primae naturae destru-
cta. Et tamen quia Deus non solum in Eccle-
sia & in Sanctis vult fieri restitutionem suae
imaginis, & prioris integritatis, de quo benefi-
cio arcana sapientia reuelata in Euangelio con-
cionatur, Sed etiam in vniuersum vult con-
spici discrimen inter naturam brutam & ratio-
nalem, inter virtutem & scelera, vt omnes ho-
mines admoneantur, & esse Deum, & cogitent
qualis sit diuina essentia, & quibus rebus à
Diabolo, & alijs naturis inquinatis differat.
Ideò sancit ordinem & disciplinam seruandam
ab omni genere humano, cuius ipse est perpetu-
us custos, & seuerissimus enormium scelerum
vindex. Mandatum igitur Dei est, cui omnes
homines

homines sani, & qui non furenter cum Deo,
& cum natura bellum gerunt, assentiuntur,
vt tenera ætas formetur ad vera iudicia, con-
gruentia cum natura, & ad actiones, vtilis
publicæ paci, & ciuili societati hominum.

Vt autem in homine non instituto du-
plex est error. In mente quidem caligo va-
cillationis, vel aberrationis iudicij, in volun-
tate verò & corde, errantes motus & cupidi-
tates, ita duplici etiam emendatione, & quasi
freno opus est. Menti enim, vel parti co-
gnoscenti, infundendum est quoddam lumen,
quod animæ iudicanti præluceat, eamq; regat,
vt hauriat noticias veras & rectas. Deinde
flectenda est pars appetens, & assuefacienda
externa membra, seu, vt Scholæ loquuntur,
locomotiuæ, vt in electione, & actionibus sit
cōgruentia mentis, voluntatis, et cordis, & vt
noticiæ veræ, similes respondeant actiones.
Ideò rectè dicitur, officium pædagogi duplex
esse, docere & castigare. Etsi enim in men-
te hominis, reliqui sunt radij quidam diuinæ
lucis, qui appellantur noticiæ naturales, vt
principia Physica, & moralia, noticiæ nume-
rorum, & similes, tamen cum, vt Philosophi
dicunt, anima in hac vita lapsa sit in corpus,
D quod

quod ipsi est causa ignorantiae, seu verius,
propter naturae depravationem, quae accessit
propter lapsum primorum parentum, plena sit
caliginis & errorum, non malè dicitur ab A-
ristotele, eam esse similem tabulae rasae, quae
nondum recepit picturam. Ideò doctrina &
institutione, illa scintilla naturalis lucis est
excitanda, & illimenda est cerebro quaedam
pictura, & scriptura, verarum noticiarum,
quae sunt rectrices vitae, sicut vox divina co-
gitationes, noticias, & omnem sapientiam
humanam nominat literam, quia sunt caracte-
res ex discursu spirituum in illis cerebri am-
pullis & nubibus efformati, & nondum est
tale illustre & diuinum lumen, quale accen-
ditur in renatis à filio, qui est lumen de lu-
mine, ἀπαύρασμα aeterni Patris, & est lux
hominum. Instillat igitur pædagogus tene-
ris mentibus veras sententias de Deo, & de
rebus bonis, quarum usus est in communi vi-
ta, & eximit atq; emendat prauas opiniones,
quae vitae & moribus sunt perniciosae. Deim-
de, quia virtus comparatur ex longa quadam
assuefactione, redigente cupiditates sub impe-
rium rationis, idem pædagogus vagos impe-
tus adolescentiae coerchet intra suas metas,
suadendo, adhortatione, atq; etiam legum &
pœna-

pœnarum carcere. Nam & nullæ naturæ sunt magis efferae, & semper adolescentiæ motus sunt vagi, calidi, & sine consideratione. Si quis verò dubitet, an tali disciplina & institutione opus sit, illis respondebimus, hanc esse, vt olim dictum est $\sigma\kappa\upsilon\theta\omega\pi\ \xi\eta\sigma\iota\pi$, & opinionem talem, quæ etiam intolerabilis est Cycloporum furioribus. Nam etiã Cyclopes apud Homerum, accusant Polyphemum, quod contra leges modestiæ, nocturna vociferatione quietem sociorum turbet. Qualis esset vita sine artibus, sine rerum vera cognitione, & sine ordine politico & œconomico, vbi non discernerebimus venenum à cibo, vel à medicamento, non intelligeremus numerationem, non sciremus spatia annorum, non constitueremus metas vocationum, leges coniugiorum, discrimen iustorum & iniustorum, in qua sereremus perpetua bella, & promiscuas cædes. In barbarie Turcica & Moscouitica nō est tantum eruditionis, vt condere possint annuas ephemerides, monstrantes rationem anni, mensium, Festorum, congruentem illis gentibus, & conceduntur aliæ turpitudines multæ in moribus, opinionibus & religionibus. In tali colluuiæ nō existimemus esse verum vitæ decus, etsi ibi sunt opes & magna regna. Sed

vera ornamenta regnorum sunt propagatio
& communicatio earum rerum, quas Deus in
societate politica vult conspici, vbi sonat vox
doctrinae caelestis incorrupta, vbi seruantur
honestae leges, munientes pacem inter ciues,
foedera coniugiorum, iura contractuum, &
vbi legitimè exercentur iudicia. Talia bo-
na in genere humano conseruantur & propa-
gantur beneficio artium. Ideò vbi dese-
runtur studia, succedit barbaries in opinio-
nibus, in moribus, in omnibus actionibus. Ut
autem institutio est præcipuum opus in vita
hominum, ita etiã illa commendanda est, non
promiscuè & sine delectu quibuslibet, sed il-
lis, qui, vt Paulus loquitur, sunt fideles. Ille
qui formaturus est ingenia pueritiæ, sit peri-
tus illarũ artium, quarũ elementa instillanda
sunt teneris ingenijs, & sit in officio suo dili-
gens, industrius, tolerans laborum, ærumna-
rum, & ingratitude. Monstret discenti-
bus certum ordinem, & eos in vtili cursu ea-
rundem rerum diu detineat. Singulare Dei
beneficium est, quòd ipso monstrante conditæ
sunt artes, & continua serie ad nos propaga-
tæ. Illæ enim sunt quasi regulæ, & normæ
gubernantes iudicium, & noticias animæ.
Illæ igitur recto ordine tradantur iuniori-
bus,

bus, & intra illas metas & septa, ingenia co-
herceantur, & frenetur petulantia & vani-
tas multorum, qui conantur conturbare ea,
quæ rectè sunt constituta à maioribus. Sicut
nunc quidem multi deliri & fanatici iuue-
nes, famam singularis sapientiæ, ex insectatio-
ne artium aucupantur, & quærunt commen-
ticias opiniones impostorum, qui tandem suæ
audaciæ graues dabunt pœnas.

In nostris Scholis necessariò ordimur
studia à cognitione linguarum, Latinæ &
Græcæ præcipuè, quia illæ sunt fontes arti-
um. Formet igitur magister pronunciatio-
nem pueri, emendet balbutiem, tradat elegan-
tem & perspicuam lectionem, regat manum,
monstret picturas literarum, deniq; doceat si-
gnificationes vocabulorum, eorumq; concinnū
contextum, & benè latinam compositionem.
Adigat etiam pueritiam ad scriptionem ora-
tionis numerosæ, vt peritia sermonis, & cura
discendi, ista quasi Musica in ipsa augeatur.
Paulatim deinde traducatur ad reliqua elo-
quentiæ studia, quæ in his Scholis proponun-
tur, vbi quasi δεμῆλια statuuntur illius
structuræ, quæ perfici debet in Academijs.
Mores etiam regantur vtili & prudenti di-
D 3 scipli-

sciplina, atq; honestissimis exemplis. Nam
& diuersitas naturarum magna est, & vt
olim dictum est, ex illis alia indigent freno,
alia calcaribus. Magno igitur consilio, apud
omnes gentes sapientes, & mitiores, sunt in-
stitutæ Scholæ, & gymnasia ad educationem
pueritiæ. Quia manifestum est, in publico
congressu & frequentia quadam felicius eru-
diri pueritiam, quàm in quadam solitudine,
aut intra priuatos parietes. Nam homines
multa discunt exemplis. Et plerunq; verum
est quod apud Platonem dicitur: Indulgen-
tiam matrum, & perniciofa exempla fami-
liæ, multa bona ingenia deprauare. Ideò Cy-
rus & cæteri reges Persici, accusantur à ve-
teribus Philosophis, quòd suos liberos curau-
erint educari in Gynecæo, vbi licentia corru-
pti sunt.

Dixi in genere quale sit Pædagogii
officium, nunc etiam auditores & pueri de
suo officio sunt commonefaciendi.

Apud Platonem in 6. libro politico-
rum, Socrates requirit in discipulo tres vir-
tutes. Sit inquit φιλομαθής, φιλήκοος, &
ζητητικός. Conspectur in Scholastico quæ-
dam discendi auiditas, attentè audiat ea quæ
tradun-

traduntur, sit etiam morigerus doctoribus, & sciscitetur de vero intellectu eorum quæ discit. Puerilis natura idonea est ad discendum, quia spiritus molles & vuidi, quales sunt in prima ætate, facile accipiunt imagines, sicut mollis cera. Senes verò, vt idem Socrates inquit, eo cum successu student, sicut currunt. Et quamuis non omnes naturæ similiter capaces sunt doctrinæ, sed vt quædam à prima origine sunt intractabiles, & distortæ, ita etiam quædam sunt hallucinatrices, & tardæ, tamen nullus est tantus stupor in homine non fatuo, qui non recipiat aliquam culturam, si adhibeatur diligentia. Sed tamen nulla excellens doctrina, sine felicibus seminibus naturæ perficitur. Ideò prudentes præceptores delectus habent inter ingenia, idonea ad literas, & illa quæ sunt $\epsilon\acute{\alpha}\nu\alpha\upsilon\sigma\alpha$. Plato scribit nihil se profecisse apud suum discipulum Dionysium, quòd natura non fuerit capax doctrinæ, & quòd corruptus erat praua institutione. Neque verò audiendi sunt illi, qui existimant ideò minus institutione & doctrina opus esse, quòd etiam illiterati sæpè ad magnū prudentiæ fastigium ascendant, & communia vitæ negotia cum laude administrant. Nam etsi quorundam ingeniorum

D 4 sagaci-

Sagacitas magna est, ut etiam sine doctrina, sibi usu rerum aliquā acquirant peritiam, & multis singulari fato felices offeruntur occasiones, quæ non minus quàm alios scholæ erudiunt, tamē illa discendi ratio et nō vulgaris, & plerunq; manca est. Quem solus usus erudit, is discit exemplis, eaq; ratio etsi naturæ est obuia, tamen est infida & periculosa. Semper enim in simili aliqua est dissimilitudo. Vidit aliquis æstum febrilem mitigatum esse haustu aquæ frigidissimæ, sed non eodem successu in quacunq; febrī hoc remedium adhibebit. Sic colligunt aliquos numeros etiam illiterati, sed longas & intricatas rationes, quomodo explicabunt sine Arithmeticæ cognitione? Ideò ad cognitionem veram, & ad parandam scientiam, opus est inquisitione causarum, quæ fit per Syllogismum, & distinguit artificem ab alio, qui artis ignarus est, & qui, ut Aristoteles inquit, ad pauca respicit.

Posteaquàm in genere recitæ sunt causæ, cur necesse sit ingenia teneræ ætatis formari doctrina & disciplina, nunc intueamur præcipuum finem huius institutionis & disciplinæ.

Lex, inquit Paulus, est pædagogus
in

in Christum. Ideò mentes imbuendæ sunt honestis opinionibus, congruentibus cum lege naturæ, ideò mores flectendi ad modestiam & virtutem, quia in homine contaminato sceleribus contra conscientiam, Spiritus sanctus non est efficax, neq; talis anima potest esse templum diuinitatis. Sint igitur nostri pædagogus non tantum propagatores sapientiæ legalis, & humanæ, quæ etiam nota est Ethnicis, & de qua hætenus sumus locuti, Sed sint monstratores Christi. Sint nostræ Scholæ officinæ pietatis, & seminaria Ecclesiæ Dei, in quibus iuuentuti instillentur semina sapientiæ cœlestis, patefactæ in Ecclesia, assuescat ad exercitia pœnitentiæ, fidei, inuocationis, & pietatis in omni vita. Omnis sapientia Ethnica, omnium gentium virtutes, sunt tantum folia fici, si conferantur ad illam lucem sapientiæ, & ad illam virtutum pulchritudinem, quæ in renatis audientibus, & vera fide amplectentibus doctrinam Euangelij, per Spiritum sanctum efficitur. Non est verò Spiritus sanctus efficax, nisi in cœtu vocatorum, in illis qui reuerenter discunt doctrinam, quam ex sinu æterni patris, filius, qui est λόγος, protulit, iuxta mandatum æterni patris, qui affatus est totum genus hu-

D 5 manum,

manum, & præcepit audiri filium, cum inquit: Hic filius meus dilectus, Hunc audite. Non deducimur ad novos, & commenticios Enthusiasticos, aut etiam interdum melancholicos afflatus, sed iubemur haurire noticiam de essentia & voluntate æterni patris, de reconciliatione generis humani cum Deo, de veris cultibus Deo præstandis, ex voce Evangelij, quæ inde usq; à prima restitutione generis humani in mundo sonuit, & sonabit, donec ad iudicium rediturus est filius Dei. Non quidem hunc augustum doctorem carnalibus brachijs complectimur, nondum eius visibili conspectu fruimur. Abductus enim est in lucem inaccessibilem creaturis, & est sursum, non sicut sunt alij electi, viuentes in beata Dei consuetudine, sed ad dextram Patris, vt det dona hominibus. Dat autem ea dona per ministerium, cuius ipse perpetuus est conseruator, & custos, mittens Prophetas, Apostolos, Euangelistas, Pastores & Doctores. Vult igitur nobis commendari cognitionem & lectionem assiduam, cogitationem & meditationem sui verbi. Vult esse scholas & congressus, in quibus homines erudiantur de illa sublimi & cœlesti sapientia ignota rationi. Cum igitur nobis commendetur

detur lectio librorum Prophetarum, & Apostolicorum, procul dubio commendantur nobis studia linguarum, quibus Prophetae & Apostoli sunt vsi. Etsi enim singulare Dei beneficium est, quod à viris, donis naturæ, & Spiritus sancti excellentibus, editæ sunt luculentæ & sinceræ interpretationes, tamen eruditos oportet fontes nosse. Multæ enim intricatæ disputationes in Ecclesia, ex natura proprietate phrasium & sermonis explicantur. Nam nulla ita est felix versio, quæ superare possit archetypum, & contradicentes necesse est refutari ex fontibus. Cuius rei nõ recenseo hoc loco exempla, cum ea quotidie sint obuia, adeò vt rectè & prudenter dictum sit: Ecclesiam tantum esse Grammaticam diuini sermonis. Quid enim aliud præstare potest pius Doctor in Schola vel Ecclesia, quam quòd natiuam sententiam vocabulorum, quibus scriptura utitur, auditoribus interpretatur? Commemorat quid significet Lex, quid Euangelium, quid fides, quid cultus, & monstrat genuinum intellectum sermonis diuini. Cum ea cogitatione & meditatione pædagogica, verè Spiritus sanctus est efficax, accendens intus in mente & corde lucem, et sensum illarum rerum, de quibus foris
diuina

diuina vox concionatur. Deinde cum ad docendum opus sit quadam concinna dexteritate, & ad explicationem rerum, quæ traduntur in sermone diuino, qui certè est doctus, eruditione, manifestum est, requiri etiã adiumenta aliarum artium, earumque multarum. Nec simus ita stolidè amentes, vt somniemus Spiritum sanctum esse infantem, aut scripturam sacram ineruditam esse quandam farraginem, sine ratione & ordine consutam. Imò ille qui format linguam ad salutarem facundiam, eloquens est, & nullus liber est, in quo sit plus eruditionis & sapientiæ, quàm est codex Prophetarum & Apostolorum. Doctor igitur Ecclesiæ, cui munus docendi est commendatum, nõ sit rudis sermonis diuini, intelligat phrasin, sciat ex puerili doctrina Dialecticæ partiri diuersa membra doctrinæ, & formare talem orationis contextum, qui sit intelligibilis, in quo partes rectè sint connexæ, eo ordine, vt ab auditoribus possit accipi, & menti infigi. Non misceat cælum cum terra, Legem cum Euangelio, potestatem politicam cum ministerio Euangelij. Neque ex quadam blandiloquentiæ usurpatione captet auram popularem, aut κροτοθόγουρον, vel δεατροκροτίαρ, vt veteres dixerunt, & interea doceat

ceat nihil. Deinde oportet adiungere etiam
aliarum artium cognitionem. Vult nos De-
us discernere aeternitatem à tempore finito,
vult nos scire initia, progressiones in hoc mun-
do, numerationem temporis, quo ordine sint
editæ patefactiones, quando sit missus filius
Dei, quo ordine sint constitutæ monarchiæ,
vt sciamus & cœpisse hunc mundum, & hoc
genus humanū, & illud aliquando desitutum.
Oportet etiam Ecclesias callere spacia anno-
rum, rationem anni, intelligere distributio-
nes potentiarum in anima hominis, in quibus
fit renouatio per Spiritum sanctum. In in-
uocatione quotidiana, pia mens cogitet quem
Deum velit alloqui, segreget suas preces ab
omnibus omnium gentium extra Ecclesiam
compellationibus. Imò cogitatione migret
ad illam ripam Iordanis, vbi facta est patefa-
ctio diuinitatis in baptismo CHRISTI, &
discat agnoscere illam dulcem regionem, vbi
edita sunt illa admirabilia opera & testimo-
nia pertinentia ad nostram salutem. Deniq;
semper fuit erudita vera Ecclesia, & semper
Ecclesijs fuerunt adiunctæ Scholæ, in quibus
iuuentuti linguæ, & artes necessariae illi, qui
futurus est Doctor Ecclesiæ, sunt traditæ.
Non absterreatur igitur à discendi cura &
assidui-

assiduitate adolescentia, insanis clamoribus
aliquorum, qui artibus maledicunt, & pro-
cul eas, tanquam hostes pietatis, ab Eccle-
sia relegant. Intelligimus Dei beneficio,
prudenter esse tenendum discrimen, inter do-
ctrinam Ecclesiae & Philosophiam, nec præ-
dicamus aut proponimus Theologiam dilu-
tam, qualis ante hanc ætatem fuit scholastico-
rum, sed amamus Philosophiam sobriam, sin-
ceram, & quæ intra sua consistit septa, & af-
firmamus sine intellectu linguarum & arti-
um, non posse feliciter sermonem diuinum ex-
plicari aut tradi. Neque tamen sumus Pe-
lagiani. Est aliqua meditatio Pædagogica,
& differt homo à statua, nec sunt expectandi
Enthusiastici raptus. Sunt artes datæ ho-
minibus ut forment iudicia. Homo rectè in-
stitutus feliciter discit & docet alios. Nec
Spiritus sanctus debilitat naturam, sed dona
naturæ confirmat, auget, & monstrat saluta-
rem usum; & tamen magnum est discrimen
inter illa naturæ dona, inter sapientiam hu-
manam, vel legalem, quæ etiam est à Deo, in-
ter virtutes humanas, & opera disciplinæ, &
inter dona Spiritus sancti, et regenerationem,
quæ in renatis accenditur. Nec ideo, quod fe-
rè, sicut olim dictum est, multi ut ex carcere
in tem-

in templum, sic nunc ex opificijs ad ministeri-
um docendi fugiunt, nullus vsus est artium.
Ac sæpè hoc accidit, quod in Epigrammate
Mori valde falso, dicitur:

Magne pater, clamas occidit litera: in ore
Hoc vnum: occidit litera: semper habes.
Cauisti benè tu, ne te vlla occidere possit
Litera, nam non est litera nota tibi,
Nec frustra metuis, ne occidat litera, eū quē
Nullus viuifico Spiritus igne fouet

Hoc molitur Diabolus, vt per istos suorū
flabellorum vlulatus, languēfactis studijs &
deletis artibus, mundum denuò tetra caligi-
ne, & turpitudine obruat. Verè enim nunc
prodeunt multorum scripta ita monstrose ab-
surda, vt sicut præstantiss: Philippus Me-
lanthon dicebat, videantur esse scripta in ipsa
amentia. Et illi ipsi populares Oratores, &
tribunitij artium contemptores, sæpè dum vi-
deri volunt tantum suos afflatus, neglecta
doctrina, sequi, ab asino, vt veteres dixerunt,
excutiuntur, & à scopo, imò à toto cælo er-
rant. Et profectò hoc accidit, quod idem, bea-
tæ memoriæ, noster Præceptor cum dolore di-
cebat, vt ibi sit vita Diabolorum, vbi est ser-
mo

mo Diabolorum, refertus monstris, tenebris,
scurrilitate & impietate.

Vos igitur adolescentuli statuite mea,
& grauiß: horum virorum voce moneri, vt
animos vestros ad amorem pietatis, & studi-
orum flecti patiamini, & statuite seuerissimo
mandato Dei, magistratus, & parentum ve-
strorum autoritate vos regi, vt in hac voca-
tione vestra, in quam collocati estis, sitis dili-
gentes, assidui & obedientes. Ideò videte,
vt animi vestri, elementa veræ pietatis sedu-
lò imbibant, paciamini vos excitari ad cog-
nitionem doctrinæ cœlestis, ad exercitia fidei,
inuocationis, & diligentia in vestro loco. Si-
tis industrij in discendis bonis linguis, amate
Grammaticam, & exercitia styli. Tunc sci-
tote aliqua exordia laudabilis progressus vos
adeptos, vbi formabitur orationem non sordi-
dam, non barbaram, prodigiosam aut horri-
dam, sed latinam, planam, elegantem, & ali-
quo modo nitorem bonorum scriptorum refe-
rentem.

Ingeniosissimus & doctissimus Re-
gum suæ ætatis, Mathias Hunniades, non-
dum excesserat duodecimum ætatis annum,
quando pater eo interprete vsus est, & puer,
aut

aut Pontificio, aut aliorum regum legatis, cogitata patris sermone latino, culto & mundo recitavit. Idem cum deinde regnaret, & ætatem suam in castris, & strepitu armorum consumeret, non solum literas, & literatos amplissimè coluit, & dilexit, sed etiam sæpè longas orationes latino sermone, non præmeditatus, in gravissimis negotijs pronunciauit, etiam puerilium regularum norma diligenter observata.

Et laudatiss: Cæsar Carolus, puer præceptore usus est Hadriano Traiectensi, qui postea singulari fortunæ benignitate Pontificatum adeptus est, Princeps, amissam patre, valdè dissuadente Præceptore isto, à literis ad studia rei equestris, artificijs quorundam aulicorum, qui crescentem gratiam Hadriani volebant hac ratione impedire, & adolescentem sub suam redigere potestatem, abductus est. Sed ipse Carolus, cum iam imperaret, & Gennæ corã ipso recitaretur oratio benè longa, & accuratè formata, conuersus ad suos: Equidem, inquit, nunc verum vatem, meum Præceptorem Hadrianum fuisse video, qui sæpè mihi occidere solebat, me

E ali-

aliquando puerilis incuriæ daturum pœnas.
Valde enim doleo, me flores & exquisitas
phrases huius orationis non rectè intelligere.

Talia exempla iuniores ad industriam
exuscitent, & cogitent præcipi ipsis à Deo, vt
fruantur hac occasione, quæ ipsis offertur. Vi-
detis qualis inclyti Senatus huius oppidi sit in
Ecclesiam & Scholam voluntas, & studium.
Vos igitur grati hanc piam liberalitatem
agnoscite. Commendate vestram patriam
& hanc Rempub. pijs precibus Deo, & in
hac militia Scholastica, vos præparate, vt
olim opera vestra Ecclesiæ & Reipub: possit
esse vsui. Etsi enim magna nunc hominum
est ingratitude, artium contemptus, & barba-
ra, aut potius Cyclopica multorum iudicia, vt
quidem noster Philippus dicebat: Sicut olim
Apophtegma fuit, Si benè didiceris, im-
pleberis delicatis escis, ita nunc hoc ita mu-
tandum: Si benè didiceris impleberis mi-
serijs, tamen, DEO protegente, seruabun-
tur aliqui cœtus docentium & discenti-
um bonas artes. Ipse etiam pijs Doctõribus
& auditoribus daturus est præmia, dabit ho-
spitia, dabit victum, dabit aliquam tranquil-
litate, etsi cum tribulatione, & in
tione

tionem Ecclesiae, illi qui ad iusticiam erudie-
runt multos, fulgebunt sicut Sol & Stella.

De mea persona loquar & breuiter
& verecundè. Vt, Deo ita rem gubernan-
te, huc me retraxit φιλοσοφία erga patri-
am, ita meo loco, iuuante filio Dei, conabor
docere vera, vtilia, necessaria, & τὰ πλείω
χρήσιμα. Scio hanc functionem non mul-
tum habere splendoris, ærumnarum verò plu-
rimùm. Sed me consolatur vocationis huius
pietas, & promissio diuini auxiliij. Scripsit
de sese D. Philippus iam senex: Vtinam ego,
etsi tantùm fuisssem humilis Pædagogus, ta-
men in tali pædagogia ætatis imbecillioris
mansissem, de qua dicit filius Dei: Non est
voluntas Patris, vt pereat vnus de paruulis
istis. Quantum solatiij est pio Pædagogo,
assidentibus castis Angelis, sedere in hoc cæ-
tu incontaminato iuniorum, qui Deo placent,
& docere tenera ingenia, vt rectè agnoscant
& inuocent Deum, & deinde fiant organa
vtilia Ecclesiae, & suis animabus. Hac eti-
am cogitatione, & spe me sustento, & spero
meam piam, & in patriam officiosam volun-
tatem, apud omnes bonos habituram esse ap-

probationem. Nec propterea desinam ser-
uire, & meo loco prodesse inclytæ Academiae,
communi matri. Ut omnes nostræ Ecclesiæ
et scholæ illius sunt Coloniae & filiæ, ita eam,
vt dulcissimam matrem, perpetuò venerabi-
mur. Etiam ideò libentius ad hanc nostram
Elysiarum Sareptam reuersus sum, vt frui
possim amicitia reuerendi D. Pastoris, &
aliorum doctorum, & integerrimorum viro-
rum, qui omnes cum Academia nostra, in eadē
sententia, & vera confessione consentiunt.
Vnam faciemus vtramq; Troiam animis. Stu-
debimus Deo iuuante, retinere piū consensum
in doctrina repurgata & instaurata voce no-
strorū Præceptorum, præparabimus animos
iuniorū doctrina & disciplina, vt Academia
à nobis accipiat alumnos non malè institutos,
& idoneos ad percipiendas artes superiores.
Denique communibus officijs, concordiam &
tranquillitatem in nostris Ecclesijs & scholis
fouebimus. Te igitur fili Dei, Domine I E-
S V C H R I S T E, qui es Orator & sapien-
tia æterni Patris, vero gemitu cordis inuo-
co, monstra nobis sapientiam æterni Patris
tui, loquere intus in mente & corde, atq; ani-
mæ nostræ imprime salutarem sensum tuæ
præsen-

præsentia, & viuificationis. *in quibus, in quibus*
stri labores sint irriti, & semper, etiam inter
ruinas imperiorum, tuere aliquos cœtus,
in quibus sonet vox cœlestis sapien-
tia, & doctrinæ, utilis
Ecclesiæ & Rei-
publicæ.

D I X I.

V V I T E B E R G Æ

S X C V D E B A T I O H A N N E S

S C H V V E R T E L

A N N O

M. D. LXVII.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to be a list or index of names and titles.

ULI THER

EXCERPTA IONIA

SCHNEIDER

M. D.

LXVII




Pa 263

3
ULB Halle
004 099 613


5b

Me






11

ORATIONES DVÆ

IOHANNIS
FERINARII, QVAVM
RECITAVIT ALTERAM
ANNO M. D. LXV. INCIPENS,
Alteram Anno M. D. LXVII. finiens
prælectionem publicam Ethicæ do-
ctrinæ in Academia VVi-
tebergensi.

ORATIO SCHO-
LASTICA RECITANS
CAVSAS, CVR NECESSE SIT
tenera ingenia formari literis, & disciplina,
pronunciata ab eodem FERINARIO,
cùm illi denuò commendaretur guberna-
tio studiorum, in oppido Elysiorum,
FREISTADIO.

Die 23. Iulij, Anno 1567.



VVI TEBERGÆ
EXCVDEBAT IOHANNES
SCHVVERTEL 1567.

XIII.

